

JOAN. SIGISM. ELSHOLZIO,
Doct. & Medico Electorali,
Prænob. Clariss. Experient.

*Cum libros de Diæta, in usum Patriæ
à se scriptos, vulgaret.*

DUlce malum, nullo justam servante diætam,
Ingluvies multos immoderata necat.
Nos edimus varias inter tot fercula mortes.
Et bibimus largis fata suprema scyphis,
Simpliciter vult nemo mori : glomeratur in unum
Copia : mors homines luxuriosa juvat.
Sic Heliogabali dementia Cæsaris olim
Interitu voluit splendidiore mori.
O cæcas hominum mentes ! nos fata solemus
Molliter ingestis anticipare cibis.
Ex tenui pendet proh ! vita tenerrima filo :
Nostra quod ingluvies, cuspis acuta, secat.
Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem :
Cur passim plures cernere detur anus ?
Causa patet, non sic est dedita fœmina Baccho,
Sicut ei sexus masculus esse solet.
Hæc Tibi materies, *ELSHOLZ CELEBERRIME*, scriptu
Digna fuit, multis non bene nota viris.
Utiliter vigiles impendis, ut antea, noctes :
Usibus humanis dum Tua scripta locas.
Dum neglecta diu renovas præcepta Salerni :
Et meliora doces, quam docuere patres.
Te monstrante vias, *Auctor Clarissime*, posthæc
Longius hæc nobis vita superstes erit.
Has Tibi debebunt præsentia sæcula grates,
Has quoque defuncto posthuma fama feret.
Dant nobis Tua scripta diu decurere sæclum :
Sed Tibi perpetuum post Tua fata decus.

J. GERLACUS WILHELMI,
Gymnas. Joach. Rector.

Regis